



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

pe committat. Unde Thren. 1. dicitur: *Peccatum peccavi Ierusalem, & idcirco instabilis facta est.* Hinc etiam Chrysostomus in cap. 11. Matth. comparat peccatorem navi, malo, velis, & gubernaculo destitutæ, quæ certissimo naufragio exposita est, & quæ fertur, non quò nauta eam dirigit, sed quò ventorum & procellarum impetus eam impellit.

Dico tertio: ut homo iustus diu abstineat à peccatis mortalibus, præter gratiam habitualement, seu iustificantem, indiget speciali Dei auxilio.

292. Probatur primo ex Concilio Arausicano 2. can. 10. ubi dicitur, *Adjuvium Dei etiam renatis & sanctis semper esse implorandum, ut ad bonum finem possint pervenire, & in bono opere perdurare.* Quibus verbis decernit Sacra Synodus, necessarium esse speciale auxilium homini iusto, nedum ad perseverandum finaliter, sed etiam ad perdurandum in operibus bonis per aliquod tempus notabile, subindeque ad abstinendum diu à peccatis mortalibus.

293. Probatur secundò ex Augustino de natura & gratia cap. 26. dicente: *Sicut oculus corporis plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere, sic & homo, perfectissime etiam iustificatus, nisi æternæ lucis iustitiæ divinius adiuvetur, recte non potest vivere.* Et lib. de Eccles. dogmat. cap. 24. ait, *Neminem etiam baptisatis gratiæ renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjuvium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* Perseverantia autem nomine, non solum eam quæ est usque ad finem intelligit, sed etiam illam quæ quis per multum tempus sine peccato perseverat; hæc enim etiam posse dici perseverantiam docet idem S. Doctor libro de bono persever. cap. 1.

294. Probatur tertio ex D. Thoma hic art. 9. ubi docet hominem in gratia constitutum, ad bene operandum, & vitandum peccatum, indigere auxilio Dei, non solum ex ratione generali quæ omnis creatura in omni suo actu indiget moveri à Deo (quo loquendi modo insinuat necessitatem auxilij generalis, quod, etiam ex communi ratione creaturæ, gratia habitualis connaturaliter exigit) verum etiam speciali ratione, desumptâ ex conditione status naturæ, etiam post ablationem peccati; Nam licet (inquit S. Doctor) sanetur per gratiam quoad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Roman. 7. Remanet etiam quadam ignorantia obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur ad Roman. 8. quid oremus, sicut oportet nescimus &c.

295. Denique suaderi potest conclusio ratione fundamentali. Gratiæ in hoc statu viæ imperfecte participatur ab homine iusto: Ergo ut per illam possit diu bene operari, & vitare peccatum, indiget auxilio speciali Dei. Antecedens explicatur observando cum Conrado hic art. 9. quod gratia viæ triplicem habet imperfectionem, per comparationem ad gratiam patriæ. Prima est in modo operandi: nam gratia patriæ semper causat actualement amorem Dei, non gratia viæ, propter quod dicitur Matth. 11. quod quilibet beatus quantumvis minimus, maior est Joanne Baptista, scilicet quantum ad modum operandi, quia Joannes non semper actu amabat Deum, sicut beati: de quo vide Bannem 2. 2. quæst. 24. artic. 7. dubio 3. Secunda est, quod gratia viatoris, quantumvis intensa, de lege ordinaria non sanat perfecte appetitum, sicut gratia beatorum. Tertia est, quod non perficit rationem ut infallibiliter inhæreat divinæ regulæ, sicut gratia patriæ. Consequentia verò probatur: Hæc est differentia inter formam quæ perfecte habetur, & illam quæ imperfecte participatur, quod habens primam, cum solo generali concursu illi proportionato, potest per illam operari; non verò habens secundam, saltem diu & regulariter, nisi specialiter moveatur ab eo qui habet plenè talem formam: sicut Sol, quia est perfecte lucidus, potest per se illuminare, cum generali Dei concursu; luna vero, quia imperfecte participat lucem, indiget præterea illustratione actuali Solis. De quo vide D. Thomam supra quæst. 68. art. 2. Ergo si gratia sanctificans imperfecte participatur ab homine iusto in hoc statu viæ, non potest per illam diu operari bonum, & vitare peccatum, sine speciali illustratione & auxilio Dei, cujus est ipsa gratia.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: 296. *Homo lapsus potest ex viribus naturæ adimplere singula præcepta naturalia: Sed datur præceptum naturale non peccandi absolute, sive nullum peccatum committendi, ut colligitur ex illo 1. Joan. 2. Hæc scribo vobis ut non peccetis, & ex Psal. 36. Declina à malo, & fac bonum: Ergo homo lapsus potest ex viribus naturæ vitare omnia peccata mortalia, quæ sunt contra legem naturalem.*

Respondet primò negando Majorem: Nam ut præcedenti articulo diximus, dantur aliqua præcepta legis naturæ, quæ homo sine gratia adimplere nequit, ut præceptum dilectionis Dei ut auctoris naturæ, præceptum servandi castitatem urgente gravi tentatione, &c.

Respondet secundò, datâ Majori, negando Minorem: existimo enim cum Curiele non dari speciale præceptum legis naturalis, obligans ad observandum totam collectionem præceptorum ejusdem legis: cum enim non possit observari tota hæc collectio, nisi per particulares impletiones singulorum præceptorum, frustra ponitur præceptum observandi totam collectionem, quod sit speciale & distinctum à singularibus præceptis, obligantibus ad particulares adimpleriones sibi respondentes. Nec obstant Scripturæ testimonia in objectionem adducta: nam ex priori solum colligitur non esse peccandum per violationem alicujus præcepti particularis; & ex posteriori declinandum esse à malo, servando singula præcepta.

Respondet tertio, quod etsi daretur tale præceptum, non sequeretur hominem lapsum illud ex viribus naturæ adimplere posse: quia licet propriis viribus possit implere singula præcepta naturalia, quæ non includunt virtualiter impletionem omnium, non tamen quæ virtualiter eam continent, quæ ratione supra art. 4. diximus hominem lapsum non posse ex viribus naturæ præceptum dilectionis Dei super omnia observare: præceptum verò non peccandi contra præcepta naturalia, licet esset singulare, virtualiter tamen omnium aliorum præceptorum naturalium observationem contineret.

Obijcies secundò contra secundam conclusionem: D. Thomas in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 2. sic ait: *Peccatum committendum potest homo vitare etiam sine gratia, quantumcumque in peccato mor-*

tali existat, si tamen gratia intelligatur aliquis habitus infusus, & non ipsa divina voluntas, per quam omnia bona causantur, & mala repelluntur. Ergo ex mente D. Thomæ, gratia habitualis necessaria non est ad omnia mortalia collectivè vitanda.

301. Respondent aliqui, D. Thomam loqui de potentia ad omnia mortalia divisivè, non collectivè, aut de potentia physica, non de morali. Sed hæc interpretationes non sunt legitimæ, nec ad mentem S. Doctoris: nam ibi statuit discrimen, quantum ad hoc, inter peccata mortalia & venialia: tale verò discrimen non subsisteret, si loqueretur de mortalibus divisivè, vel de potentia solum physica ad illa vitanda, cum homo possit absque speciali gratia omnia venialia divisivè vitare, & habeat etiam potentiam physicam ad vitandam totam eorum collectionem, licet careat ad hoc potentia morali & expedita, ut dicemus articulo sequenti. Unde melius respondetur cum Capreolo, Cajetano, & Conrado, illustribus D. Thomæ Interpretibus, S. Doctorem fuisse quidem in hac sententia, dum commentaria super libros sententiarum scriberet, sed eam postea in summa Theologica retractasse, ut constat ex art. 8. hujus questionis.

302. Obijcies tertio: Si homo non posset sine gratia habituali diu à peccato abstinere, sequerentur duo inconvenientia: Primum est, quod posset aliquis tertio scire se esse in gratia, cum ipsi constare possit, se à longo tempore non esse lapsum in mortale. Secundum est, quod quilibet in mortali existens, teneretur statim confiteri, vel conteri de peccatis: quia si non statim pœniteret, exponeret se periculo evidenti incidendi in alia peccata mortalia; quod periculum quilibet vitare teneretur, ut colligitur ex illo Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

303. Respondeo neutrum ex his inconvenientibus sequi ex nostra sententia: Non quidem primum, quia licet homo possit certo scire se nullum peccatum mortale ex deliberatione formali commisisse; potest tamen dubitare, an aliquod ex deliberatione virtuali vel interpretativa, quæ sufficit ad mortale, commiserit; puta quando potest quis deliberare, & teneretur, & non facit. Item licet cognoscat se non peccasse peccato commissionis, nescit tamen an sit lapsus omissione, vel non ponendo actum qui erat in præcepto, vel non ponendo ita efficacem & intensum, ut tenebatur. Insuper licet sciat se non peccasse opere, nescit tamen an peccaverit cogitatione. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 4. dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et Propheta Psal. 18. *Delicta quis intelligit? ab oculis meis munda me &c.*

304. Non sequitur etiam secundum inconveniens: quia licet unusquisque teneatur evitare determinatam peccandi occasionem, determinatumque periculum, secus tamen, si hæc non sint certa & determinata, ut contingit in proposito. Et sanè si ex eo quod homo est in periculo incerto & indeterminato incidendi in peccatum, dum est in peccato, teneatur sub mortali conteri, aut confiteri, ad removendum illud periculum; cum existens in gratia & charitate non possit etiam (ut infra dicemus) in illis perseverare, sine speciali auxilio, teneretur etiam sub mortali facere totum quod in se est, ut obtineret à Deo illud auxilium speciale, quod ipsi est necessarium ad omnia peccata per longum tempus vitanda, quod tamen nullus admittit.

A Obijcies quarto contra tertiam conclusionem: D. Thomas 3. p. quæst. 62. art. 6. ad 3. ait: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentia*: unde ibi retractat quod aliquando dixerat in sententiis, scilicet gratiam circumcisionis non fuisse sufficientem ad reprimendam concupiscentiam fœditis, & ad implenda mandata legis. Ergo homo justificatus, per solam gratiam sanctificantem, potest resistere omnibus tentationibus, & omnia peccata mortalia vitare.

305. Respondeo vel D. Thomam ibi loqui de gratia habituali, non excludendo, sed supponendo auxilium actuale speciale, sine quo neque minima neque maxima gratia potest diu resistere omni tentationi: vel solum velle (ut interpretatur Cajetanus hic art. 9.) quod minima gratia sufficit quantum est de se, & ex natura sua, non verò quatenus est in tali subiecto, cum pugna appetitus, & cum debilitate rationis, propter ignorantiam. Sicut enim licet calor aquæ bullientis superet ejus frigiditatem, quia tamen non est in subiecto sibi connaturali, statim à frigore expellitur: sic etiam, quia gratia in nobis viatoribus non est in subiecto sibi proportionato, sed multum infirmo & indispósito, licet ipsa fortior sit concupiscentia, ab ea tamen, ratione subiecti, si auxilio Dei destituitur, superatur & corrumpitur.

C Obijcies quinto: Ideo homo lapsus, ad diu observandam legem, & non peccandum, indiget speciali auxilio, quia observare totam legem, & omnia peccata vitare, est opus hominis sani, atque adeo nequit ab infirmo præstari: Sed homo justificatus, jam est sanus per gratiam habitualem, quam D. Thomas supra art. 4. sanantem appellat: Ergo ad diu observandam legem, & ad vitanda omnia peccata mortalia, non indiget speciali auxilio, à gratia habituali distincto.

307. Respondeo quod licet homo justificatus sanetur per gratiam habitualem, non tamen totaliter & adæquate; ut enim ait S. Doctor supra relatus, *Licet per eam natura humana sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati*, ut dicitur ad Roman. 7. *Remanet etiam quidam ignorantia obscuritas in intellectu, secundum quam (ut etiam dicitur ad Roman. 8.) quid oremus sicut oportet nescimus.* Et hæc suffiunt ad fundandam indigentiam specialis auxilij in homine justificato, ad diu observandam legem, & vitanda omnia peccata mortalia.

308. Dices, D. Thomas hic art. 8. in corp. ait quod homo in statu gratiæ potest ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit, abstinere: Ergo ex ejus mente, homo justus, ratione gratiæ habitualis, habet vires sufficientes ad omnia mortalia usque ad finem vitanda, subindeque ad hoc non indiget ulteriori auxilio.

E Confirmatur: Ideo juxta D. Thomam ibidem, homo existens in peccato mortali non potest omnia mortalia collectivè vitare, quia non habet cor firmatum in Deo, ut pro nullo bono obtinendo, vel malo vitando, ab eo separari velit: At homo justus cor suum habet firmatum in Deo, ratione gratiæ habitualis: Ergo ei competunt vires sufficientes ad omnia mortalia collectivè usque ad mortem vitanda.

310. Ad instantiam respondeo D. Thomam non loqui de omni peccato mortali absolute sed tantum de omni mortali quod ex ratione, à Deo ut ultimo fine averfa & deordinata, trahit originem. Ex duplici enim capite provenit in homine existente in

mortali impotentia vitandi omnia mortalia collectivè, nimirum ex deordinatione rationis per aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam, ex qua (ut ibidem notavit D. Thomas) oritur quod, nisi in continua præmeditatione existat, non possit non operari multoties juxta præconceptum finem; & ex corruptione seu rebellione partis inferioris, superiorem ad illicita pertrahentis. Quia ergo in homine iustificato, primum caput per gratiam sanctificantem destructum est, hinc fit quod possit ratione gratiæ omnia mortalia quæ ex illo trahebant originem, evitare. Et hoc voluit D. Thomas, dum dixit quod homo in statu gratiæ potest ab omni peccato mortali, *quod in ratione consistit*, abstinere. Unde

Ad confirmationem dicendum, quod negatio firmitatis cordis in Deo, non est causa adæquata indigentiae auxilij specialis ad vitanda omnia mortalia collectivè, sed una solum ex causis; alia autem hujus causa est negatio subordinationis partis inferioris ad rationem: unde cum in statu naturæ lapsæ hæc secunda causa in homine iustificato perseveret, etsi prima non subsistat, non potest vitare omnia mortalia collectivè, sed ea duntaxat quæ ex prima causa, nimirum deordinatione rationis, per aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam, trahunt originem.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis inferes, hominem in statu naturæ lapsæ (etiam postquam est iustificatus) non posse, sine speciali auxilio, graves tentationes contra præcepta legis naturæ vincere ex aliquo motivo honesto. Ratio est, quia vincere gravem tentationem, etiam præcisè ob honestatem naturalem, est opus morale difficile: Sed homo in statu naturæ lapsæ, etiam postquam est iustificatus, non potest exercere opus morale difficile, absque speciali auxilio Dei; quia (ut supra declaravimus ex S. Thoma) gratia sanctificans non sanat hominem perfecte, sed in eo relinquit languorē potentiarum, & rebellionem concupiscentiæ, ad meritum & profectum vitæ spiritualis, ut quotidiana in viris sanctis plusquam satis confirmat experientia: Ergo homo in statu naturæ lapsæ, etiam postquam est iustificatus, graves tentationes, absque speciali auxilio, vincere nequit ex aliquo motivo honesto. Quod intelligi debet, non solum quando tentatio vincitur positivè, faciendo scilicet opus virtutis contrariæ, sed etiam quando vincitur negativè, hoc est, quando homo non exequitur opus ad quod tentatur: Cum enim vehemens tentatio maximè impellat ad cadendum, ipsum non cadere, & tentationi non succumbere, speciali Dei gratiæ tribui debet. Unde Innocentius Papa in Epistola ad Concilium Carthaginense, apud Augustinum 91. *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti confisque nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores: necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Dixi gravem tentationem non posse absque speciali auxilio vinci, *ex aliquo motivo honesto*: nam ad vincendam gravem tentationem ex pravo aliquo motivo, v. g. tentationem luxuriæ ex motivo avaritiæ, vel inanis gloriæ, necessarium non est speciale gratiæ adiutorium; quia actus ille ex circumstantia finis est malus, gratia autem

A specialis non desideratur nisi ad actum difficilem, undeque honestum.

Dices: Tentatio quantumvis vehemens, quando rationis iudicium non absorbet, libertatem non adimit homini lapsi ad ipsi resistendum: Ergo potest homo lapsus, quantumvis gravi tentatione contra aliquod præceptum legis naturæ pulsatus, tentationem illam superare, absque speciali auxilio. Consequentia videtur legitima: impossibile enim videtur, quod aliquis omni speciali auxilio destitutus, remaneat liber ad resistendum tentationi, si absque speciali auxilio non possit ei resistere. Antecedens verò probatur ex D. Thoma supra quæst. 10. art. 2. & 3. ubi docet expressè à nullo omnino objecto, nullave passione, quantumvis vehementi, voluntatem hominis, quando est in via, necessitari posse, quoad exercitium actus, sed semper manere liberam, ut eliciat vel non eliciat actum: quod etiam asserit D. Anselmus lib. de libero arbit. cap. 6. 7. 9. & 10. Ratio etiam suffragatur: nam si gravis tentatio libertatem adimeret homini tentato, speciali auxilio ad ei resistendum destituito, homo ille ei consentiendo non peccaret; quia nemo peccat in eo quod libere vitare non potest.

Respondeo concessio Antecedente, negando ejus Consequentiam: sicut enim ut homo dicatur liber ad observanda præcepta supernaturalia, & resistendum tentationibus ad eorum transgressionem inducentibus, non est necesse quod id præstare valeat sine gratia, & ex solis viribus liberi arbitrij; sed sufficit quod id possit mediante gratiâ, quæ ipsi offertur à Deo, quando urget eorum obligatio, aut pulsatur gravis tentatio: ut passim docent Augustinus, Hieronymus, & alij SS. Patres, impugnantes errorem Pelagij, qui assererat hominem non esse liberum, si Dei indigeret auxilio, ut refert D. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem: ita pariter ut tentatio gravis contra præcepta naturalia, relinquat hominem lapsum liberum ad ei resistendum, non requiritur quod ille, tali tentatione pulsatus, possit absque speciali auxilio ipsi resistere, sed sufficit quod id possit cum speciali auxilio, ei à Deo oblato, instante obligatione præcepti naturalis, & gravi illa tentatione urgente: ut enim ait D. Thomas hic art. 4. ad 2. *Illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, secundum illud Philosophi in 3. Ethic. Quæ per amicos possumus, aliquantulum per nos possumus.*

Quæres ad complementum hujus quæstionis, an homo lapsus possit sine speciali auxilio vitare singula peccata contra legem naturæ? Ratio dubitandi est, quia D. Thomas hic art. 8. in corpore, id expressè videtur asserere, ait enim: *Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparatur per gratiam iustificantem, potest singula peccata mortalia vitare... quia non est necesse quod continuo peccet in actu.* Et in solut. ad 1. *Dicendum (inquit) quod homo potest vitare singulos actus peccati, non tamen omnes, nisi per gratiam.* Ratio etiam suffragatur: Nam ut docet idem S. Doctor supra quæst. 10. art. 2. & 3. voluntas nostra non potest ab ullo objecto particulari hic in via necessitari, neque etiam ab ulla passione, quantumcumque vehementi, dummodo non tollat indifferentiam iudicij: Ergo potest ex viribus propriis singula peccata vitare.

Propter hæc argumenta quidam ex nostris Thomistis, quos citat & sequitur Curiel hic dub. 3. §. 2. concl. ultimâ, partem affirmativam tenent. Ni-